

XLVIII. Tandem ad corporis culturam spectat, ut membris congrua agilitas et decora quædam elegantia concilietur, ut omnis vitetur in vestibus et externo habitu fordities. — Regula Juvenibus obnixè inculcanda.

XLIX. At enim ut corpus animæ in obtinendo fine suo ultimo rite inserviat, *Rebus externis* naturalibus ac industrialibus opus habet; earum ergo cura a nemine sine noxa negligitur.

L. Aucto hominum numero res sponte natæ ad victum et vestitum haud amplius suffecissent, multiplici ergo labore opus erat: ex quo sequitur, ut homo corpore integer sanæque mentis, si socialis vitæ commodis frui optat, pro bono communi mente aut corpore laborare vicissim obligetur. \*

\* An huic laborandi debito satisfaciunt, qui arte mimica, schœnobatica aut equestribus Anglorum ludis omnem ætatem consumunt?

LI. Secundum Sapientis monitum nec divitiæ, nec mendicitas adpetantur: quodsi in egestatem sine propria culpa incideris, eam patienter tolerare summe meritorium.